

tas: quarum tamen omnium usus jam olim etiam desijt.

46. Quemadmodum igitur necessitatem ordinis boni, & politicæ laudabilis, quâ tempore, loco & personis consulitur: qualemq; necessitatem & Spiritus sanctus, & Apostoli in suis traditionibus spectarunt, Act. 15, 20. minimè improbamus: Ita simplicem, absolutam, & immutabilem illam necessitatem quippè quæ rerum adiaphorarum naturam prorsus evertit, nullo modo probare vel possumus vel debemus.

47. Alterum vitium est, Opinio cultus: quando ritus isti DEO per se ac immediatè placere finguntur: qualem cultum assuunt Pontificij vite Monasticæ, Horis Canonicis, Ieiunijs, & similibus ἐτελοῦσθαι: de quibus verè Christus pronuntiavit: Frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Matth. 15, 9.

48. Cui subscribens Apostolus, hunc generalem de traditionibus ejusmodi humanis Aphorismum concipit: Quod si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid, ut viventes in mundo, ritibus oneramini? Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris. Quæ omnia ipso usu pereunt, secundum mandata & doctrinas hominum, Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario & summissione animi, & in eo quòd corpori non parcant: nec tamen ullius sunt pretij, cum